

tiam canonicam vicariatum et alia reservata sedi apostolice contulistis a tempore supradicto receptis exinde annatis sive primis fructibus et pecuniis multis, secundum quod in libris domini Heinrici de Hunaberg et Johannis Gamundie clare poterit reperiri, qui omnes et singuli cedere debent et restitui camere domini nostri pape.

Item vicariatum vestrum in pontificalibus et penitentiariam vendidistis Petro episcopo Ciconensi ultramarino apostate, qui abjecto ordine suo taliter incedit in cissura vestium suarum et tonsura, quod nescitur ac perpendi non potest ex aspectu, an canonicus regularis, niger monachus Camaldulensis vel clericus secularis existat, vendidistis pro mille et quingentis florenis aureis pro tempore vite sue ita tamen, quod si vos vel aliquis successorum vestrum deponeret Petrum episcopum predictum et apostatam a vicariatu in pontificalibus et primaria predictis tunc singulis annis certam quantitatem flor. de quartis illis recipere potest et debet unde continget, quod ordinandi ad sacros ordines, vel recipientes primam vel qui basilicas consequuntur, vel altaria, vel reconciliari ecclesias, vel cimiteria vel aliquos actus pontificales procurari volunt per Petrum predictum in duplo majori exactionantur quam apud alios fuerit factum.

Item licet dominis proposito, decano et capitulo promissistis hoc prevenire et ipsum vitare, quia propter apostasiam excommunicatus, cum adhuc continuo ipsum retineatis, in habitu supradicto exercere pontificalia vice vestra.

Item inquisitionem per totam dioecesim fecistis contra omnes clericos nec aliquis fuit penitus nisi in datione pecunie et dispensastis eum illis, qui infra tempora a jure statuta fuerunt promoti ad sacerdotium et dixistis, quod auctoritate apostolica hoc possetis et in aliis talibus episcopalibus dispensastis.

Item cum ipse dominus Felix auctoritate litterarum apostolicarum laboravit, ut canonici ecclesie Constant. ipsum dominum meum reciperent in prepositum, vos ipsum impediistis petentes ab ipso ducentas marchas pro receptione per vos ut dixistis fienda, licet ad vos non pertineret et licet ipse totaliter recusaverit et dixerit, quod in arbitrio domini pape ponere vellet, an aliquid vobis dare deberet. Tamen vos litteras fieri fecistis sonantes, quod ipse promissit stare arbitrio duorum fratrum vestrorum et domini Heinrici de Hunaberg fatigantes ipsum per litteras predictas. Secundum hec et predicta et infra scripta ipse specificabit coram domino nostro papa.

Item quia in monachatu, antequam abbas vel episcopus essetis per Annam Snellin de villa loci Heremitarum in diaconatus ordine constitutus genuistis Dietericum, quem a tempore, quo episcopus factus fuistis, tanquam domicellum et